

magno numero, qui teste Job, *dicunt Deo: Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Quales sunt imprimis, qui nolunt ista credere, quod aliquando sint futura: quales etiam, qui tametsi credant, nihil tamen se emendant, sed omnes admonitiones spernunt, *quorum finis est interitus.* Sed nos cum Davide finiamus, et oremus. *Domine, ne discedas a me, Ps. XXXIV. et Psal. XXXVII. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me. Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.* Sed et ita vivamus, et Deus opt. max. non inveniatur causam a nobis discedendi.

CONCIO V.

DE MORTIS VIA PRÆMEDITANDA.

I. Vadis ad locum supplicii. — II. Ad locum desertum. — III. Per lacum congelatum. — IV. Ad perpetuos carceres. — V. Ad coulatissimum Dominum. — VI. Ad Deum iudicem.

THEMA.

Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Joann. XVI.

Videtur hisce expostulare Dominus cum discipulis suis, quod audiant ipsum ab eis recessurum, et interim tamen non curent aut quærant, quo, qua via iturus sit. Iturus erat Dominus, (de quo loquitur ibi) ad passionem, ad crucem, ad mortem: id quod sæpius eis insinuavit. Et quasi hoc parum esset, discipuli hujus itineris causas, mysteria, conditionem non curant pervestigare. Simili modo expostulare nobiscum possent cives et fratres nostri, quos quotidie videmus nunc cum morte conflare, nunc ad cæmeterium efferri, atque adeo et ipsos vadere. Possent ergo isti dicere: *Ego vado, et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* Quinimo nostrum quilibet dum vivit, semper ad mortem vadit; et forte per totum annum nunquam nos ipsos interrogamus: *Quo vadis?* Vadimus ad locum oblivionis ignotum, obscurum, periculosum; et nunquam cogitamus quid ad iter illud nobis necessarium sit, quomodo nos paremus, quomodo armemur, etc. Vereor sane ne hæc in re hostis humani generis oculos nobis claudat, quominus rem tam formidabilem, quam declinare nequaquam possumus, præmeditemur. Quid enim? Nonne levis jacturæ suspicio aut metus somnum nobis sæpe numero aufert? Nonne iter longinquum institurus, multis diebus præcogitat, quid sibi ad iter necessarium sit, idque sedulo sibi parat velut equum, viaticum, comites, commendationes, salvum conductum, testimoniales sanitatis, etc. Quomodo igitur in hoc uno itinere, mortis omnium longissimo et

periculosissimo adeo improvidi sumus, ut nulla prævia cogitatione et præparatione id aggrediamur? Quemadmodum igitur Nabuchodonosor Sedeciam regem ducturus in Babylonicam captivitatem, prius excecavit, IV. Reg. cap. XXVIII. sic facit nobis dæmon, ut incautos ad perditionem ducat. Quod ne contingat nobis, mature interrogemus nos ipsos: *Quo vadis?*

I. Ad locum supplicii nobis destinatum, quippe jam dudum lata est in nos mortis sententia; unde vita nostra nil aliud est quam via ad illam. Et si alius aliis longiorem facit viam, donec ad locum supplicii veniant, omnes tamen ad supplicium abeunt, et paræ conditionis sunt, nec magis gaudet is, qui ad duo milliaria abducitur ad mortem, quam qui ad triginta passus; ita nec æstimari debet, quod unus hoc, alter alio anno ad mortem perventurus sit. Ponamus ergo aliquem in medio mari navigantem, qui sciat se ad mortem damnatum et jugulandum, quam primum navis ad terram appulerit: licet hic nesciat tempus appulsus et sperare possit, forte non appulsuram navim ante medium annum: nihilo magis tamen hæc spes eum recreabit. S. Ignatius martyr de Antiochia Romam per mare mediterraneum, longissimo itinere, missus ut bestiis objiceretur, scribit ad Romanos: *De Syria usque ad Romam pugno ad bestias in mari et in terra.* Ergo bestias et mortem suam etsi longe adhuc distantem quasi jam præsentem semper ante oculos habebat. S. Chrysost. in Gen. c. III. ait: «A quo tempore Adam audivit: Terra es et in terram ibis, sententiam mortis accepit, et ex illo tempore mortuus est. Unde verificatum est in quocumque die comederis, morte morieris, sicut in humanis judiciis, quando quis sententia lata, ut capite muletetur, iterum in carcerem conjicitur, et licet ibi multo tempore agat, nihil melius tamen habet defunctis et mortuis, utpote jam per sententiam mortuus.» Igitur quot dies, tot passus ad mortem conficis. Numera hebdomadam pro uno passu, et vix habebis duo millia passus, qui faciunt quadraginta annos. Et quam cito transit una hebdomada? Agedum vero jam, si ita res habet, quo fine tu mundi bona amas vel quæris? Dic enim quæso; num ii, qui in carcere constituti paulo post educendos se ad mortem sciunt, curam aliquam corporis aut mundi habent? Annon insanire eos diceres, si pridie mortis suæ venam incidere, vestes novas parare, domum emere vellent? Annon potius vides, quomodo seipsum negligunt, capillum non tondent aut pectunt, nihil de vestium cura cogitant? O si et tu cogitares, paulo post te educendum cum illis, et ad sepulcrum efferendum, non dubium quin et tu hæc omnia negligeres. Cui

enim, o delicatule, cui nutris carnem tuam? Nonne vermibus? Cui tu dives congregas opes tuas? Nonne alienis? Quomodo quis superbe corpus ornet, qui videt convertendum in cinerem? Quomodo avaritiam sectetur, qui videt omnia sibi relinquenda? Quomodo luxuriam, qui videt ossa et reliquias pulcherrimorum olim hominum? Quomodo invidiam aut iram, cum videt omnes uno in cæmeterio, uno modo, uno tegendo sabulo? Quomodo gulam, cum aspicit vermes sui convivæ corporis?

Rem alia similitudine comprehendite. Si quis haberet domum proximam Danubio, qua rapidissimus est, et in dies devorata terra, domui ejus appropinquaret fluvius, ita ut jam ad decem cubitos non absit; si is domum illam exornare, depingere, augere multis adjunctis ædificiis, horreis, stabulis vellet, insuper varia suppellectile adornare, nonne insanus censetur? Quin potius incipiet, si sapit, eam paulatim destruere, ornatum ejus omnem intermittere, et ex ea omnem quam potest subtrahere suppellectilem et in locum tutiorem transferre. Corpus et vita nostra hæc domus est, morti semper vicinior; quid igitur eam exornare, augere divitiis, honoribus, etc. studemus? Quin potius destruimus, et ornatum ac suppellectilem nostram alio transferimus: *Ubi fures non effodiunt, nec ærugo et tinea demolitur?*

II. Ad desertum et locum vastæ solitudinis, ubi nil reperies ad vitam necessarium, nisi quod præmeris. Jam si scires per desertum non reperiri potum, nonne potius aquas tecum ferres, quam aurum? Quid enim proderit aurum, si non habeas quod hibas? In deserto Lybiæ Azoard duo comites peregrinabantur, quorum alter vasculum aquæ habebat secum, alter ultra decem aureorum nummorum millia. Hic igitur ob aquæ penuriam inopem se esse advertens, obtulit socio totam auri summam pro aquæ vasculo. Hic cupiditate auri ductus vendidit aquam, qua ipsemet plurimum egebat: eaque mercimonia utriusque quidem parum proficua fuit, uterque enim siti mortuus est, ob deserti vastitatem, emptor tamen serius; ac si quidem plusculum aquæ fuisset in vasculo, non dubium quin omnino se servasset. Refert Leonius, p. 1. Desertum est, via mortis: nulla ibi diversoria, nisi quæ tibi hic extruxeris, nulla victualia, nisi habeas bona opera: cum auro igitur peribis, cum aqua gratiæ et virtutum servaberis. Similem fecere mercatum cives duo Constantinopolitani, apud Cedrenum et Baron. anno Domini 553. quorum alter dives cum ægrotaret mortemque timeret, promisit se triginta libras argenti in pauperes erogaturum; restitutus autem sanitati præter spem suam,

fraude diaboli eo inductus est ut facti ipsum pœniteret: quod cum alteri fideli amico suo indicaret, is castigare ejus insaniam et monere ne huic assentiat cogitationi. Sed cum non moveretur, imo magisque irritaretur: *Quando, inquit alter, salutare consilium non admittis, aliud tibi subjiciam poscenti. Agedum, inquit, in templum vade, et non te, sed me in pauperes elargitum pecuniam istam dicito, ipse statim triginta libras reddam.* Consentiens infelix ille ad templum abijt, ita ut alter præceperat, locutus est, et aurum recepit. Unde egrediens, ad ipsam templi portam concidit mortuus. Quis istius hominis stultitiam non deploret? Quid igitur faciendum? Præmittenda sunt illuc victualia, quæ sunt virtutum opera; quia ibi nostrum erit diversorium, et quidem æternum.

III. Per lacum congelatum, dubium et anticipem, ob glaciæ fragilitatem. Hujusmodi enim via mortis est, anceps, inquam, et periculi plena, ob subsequens judicium. Hoc sensit moribundus Aristoteles cum dixit: *Nescio quo vado.* Quamquam enim spes misericordiæ divinæ erigit animum, recordatio tamen peccatorum nostrorum et justitiæ divinæ timorem afferunt. Hanc incertitudinem significabat commutatio illa manuum Jacob in benedictione filiorum Joseph: hanc diversus ille exitus incarcerationum cum Joseph pistoris et pincernæ. Quis nescit latronem e crucis patibulo in cælum ascendisse, Judam de apostolatus culmine in gehennam descendisse? Erit aliquando momentum, in quo timidissime expectabis sententiam tuam: velut si miles quis reus in circo a commilitonibus judicetur, post quod immediate aut suspendendum se, aut liberandum esse scit. Vel si vita tua committatur sorti, ut si niger calculus prodeat, in rogam vivus injiciaris; si albus, libereris. Quis tibi tunc foret animus? Quid cogitares, cum immitteres manum ad sortem extrahendam? Quid Deo non voveres pro tua liberatione? Quid sentires si cum Helvetio illo Wilhelmo Thellio cogereris pomum e capite filii sagitta dejicere aut mori? Quid si caveam leonis intrare et cibum illi eripere? Quid si Danubium glaciæ concretum, dubius tamen de glaciæ durtie, transire? Sed nihil sunt hæc respectu mortis. Facito igitur quod vulpes solent glaciem transire, prius aurem glaciæ admovent, et si strepentem sub tus aquam audiant, non transeunt: sin vero quieta omnia sint, secure pergunt, ut refert Pier. l. XIII. hierogl. Tu admove aurem ad conscientiam tuam, antequam transeas mortis flumen, et si quidem audias remurmurantem conscientiam, siste gradum, et dispone prius *animæ tuæ*; sin quieta illa sit, est quod bene speres. Qui fossam paulo latiore transilire debet, prius retrocedit

et cursum sibi præripit ut fossam saltu trahat. Fossa profunda et periculosa est transitus mortis; nam e temporali vita salies, vel in ripam cæli, vel in aquam et foveam inferni. Noli igitur stulti instar, saltum illum facere absque prævio conatu et præparatione debita. Noli differre pœnitentiam usque in articulum mortis, quando difficillimum erit transilire: sed dum sanus es, præcipe tibi cursum et age pœnitentiam.

IV. Ad perpetuos carceres: *Quoniam ibit homo ad domum æternitatis suæ*, ait Ecclesiastes, cap. ult. Religionem intraturus diu deliberat omniaque sedulo perpendit; (licet religio quævis annum saltem probationi concedat) quia professio semel edita per omnem vitam observanda est. Ecce vero non magis in proposito ad æternum claustrum ingressuri prius deliberamus, quorsum ingredi velimus, præsertim cum nullus ibi probationis annus, dies aut hora concedatur? Transiturus glaciem potest unum pedem ponere in glacie et pertentare ejus firmitatem, firmato pede altero in terra, ut si firma non sit glacies, illico pedem referat. Quod si consimili modo facere possemus in itinere illo æternitatis, secunda et salva res foret: si unum, inquam, pedem in altero sæculo ponere, unum hic retinere possemus, ut si ibi nobis non placeat locus, pedem referremus. Sed non est hoc possibile, utrumque simul pedem illuc ponere debemus, nec si male posuerimus, regredi ulla tenus licebit. Quam caute et gnæviter attendunt sagittarii, ut jaculantes pro insigni dono, bene explodant? Sciunt enim totum in explosione positum. Quanto cautius attendendum ut ultimum spiritum in statu gratiæ emittamus? Sed nimirum quales sunt ad contrahendas nuptias homines, tales fere in proposito: utrobique inconsiderati, idque postea primum damno suo experiuntur. Quam multi ex improviso contrahunt matrimonium, qui postmodum lamentantur, et suam stoliditatem ac pœcipitantiam deplorant toto connubii tempore? Hinc illæ inter conjuges querelæ: O si te prius novissem! in æternum non duxissem, etc. nihilominus tamen sibi mutuo adhærere debent, donec per mortem separentur. Sic dicent quoque in inferno: O si melius rem ponderassem! *Nos insensati ergo erravimus, et lumen veritatis non luxit nobis.* Sed non est tibi redemptio, quantumcumque lamentemur. In matrimonio molesto expectari potest mors, quæ finem imponet labori, sed non ita in inferno: *quia vermis eorum non morietur: et illa ipsa mors, quæ aliquando hic miserias omnes terminat ibi eos depascet: quia ut ait S. Greg. l. IX. moral. c. XLVIII. Ibi mors vivit et finis semper incipit.*

V. Ad sapientissimum Dominum, qui omnia nostra acta, dicta et cogitata, per omnem vitæ nostræ cursum, accuratissime novit. cui nihil occultare, nihil negare poterimus. siquidem is convincet nos testimonio conscientiæ nostræ; quam facinorum nostrorum testem ac proditricem nobiscum gerimus. Exemplo rem apprehendamus. Scribit Ludovicus Richeomus juvenem de puero Peruviano historiolum. «Europæus quidam non ita pridem Peruvianum in Brasilia (cui genti scribendi facultas nondum comperta erat) regnum incolebat, nobili oriundus genere. Is aliquando ad vicinum suum ejusdem nationis itidemque nobilem sportulam recentibus ficibus oneratam, per pedissequum Peruvianum deportari jussit, addita scheda muneris indice. Puer in viam se dans, curiositate quadam adducitur, eas ut non modo contempletur, sed attingat etiam, degustet ac contrectet; mandatum heri nihilominus exequitur, et munus quo mittebatur defert. Nobilis, dono accepto, ac litteris juxta lectis fraudem subodoratus subridere largius paulo et fructus prægestatos puero dicere, negare ille, protestari, stomachari cœpit, et nobilis testimonium heri allegare, qui numerum ficium in litteris sibi perscripsisset. Hic tum adolescens postquam chartam numerum indicare, et quid rerum gestum esset demonstrare animadvertit, admirari, stupere, hæerere cœpit, adeo ut lapides locutos putare, et potius divinare, nec bilem velle augurare, et veritatem isthoc sermonis genere expiscari, quam ex litteris istiusmodi aliquid rescivisse suspicari; pertinaciter proinde negare, et velut plausible argumento rem diluturus, contendere, chartæ nec aures esse nec os, atque ideo vana narrari, sibi mendacia affingi, fumos vendi. Nobilis ergo mirifice homine ita in stuporem dato et propter insignem constantiam admodum recreatus, eum ad herum remittit, adjecta similiter scheda qua gratias pro dono agebat, et quid accidisset referebat. Eo itaque domum reverso, et historia ab hero cognita, altum silentium, risus incredibilis oritur, et per tempus commoda famulo punitio reservatur. Octo ergo diebus post eundem cum simili dono ac litterulis ad prædictum nobilem ablegat, sporta nonnihil firmitus quam ante obserata, ne denuo pedissequo furti occasio et aditus præberetur. Verum ille et mundum et homines ludos se nuper fecisse autumans, velut ex condicto in corbem involat, ficus egerit, chartam cui sensum inesse forte suspicabatur subtilem inventam, lapidi supponit, ipse insidens animose epulatur, et haud aliquando largius quam proxime helluatur: schedam in locum reponit et iter prosequitur. Ergo cum humaniter a no-

bili exceptus fuisset, mox ab eodem objurgatur, et quo manifeste se teneri intelligeret, quantum comederit, quomodo mandatum heri contempserit audit. Hic ille sudare, admirari, et jam velut subtiliorem sagacioremque nobilem factum intueri, varia in animo volvere, quomodo charta retrusa et abscondita, ignara etiam, quæ nec viderit, nec senserit, adeo manifeste edisserat; negare ergo, pejerare, et eundem quem nuper eventum sperare. Nobilis itaque homine dimisso et alia scheda tradita accurate rem universam complectente acquiescit. Herus certior factus, juvenem flagris cædi jubet, clamitare ille et ne factum fateretur, chartam mutam esse vociferari, latuisse etiam quid geri potuerit, et mirum esse quomodo ab ea accusatus delatusque sit. » Quid ad profectum nostrum hæc historia? Multum per omnem modum. Vadimus nos ad eum, qui omnia nostra acta novit accuratissime, missi a Deo, cum certo talentorum numero. Jam si horum aliqua male impendamus, adeoque devoremus et Domino nostro suffuremur, rationem Deo reddemus. Prodet autem nos epistola conscientie nostræ quam nobiscum gerimus; nec ulla ratione suppressere, cæcam aut et inguem reddere possumus. Unde ait Seneca, l. de moribus: *Nullum conscium scelerum tuorum magis timueris quam teipsum. Alienum enim fugere potes, te nunquam.* Quis igitur tunc erit tibi animus, quando coram Deo tuo prodet te conscientia tua, qui forte ad proditorem hunc nunquam attendisti? Quam stupebis? Quam sudabis? Quam pudebis? Quam vapulabis? Hic est ille adversarius tuus, (ex sententia S. Athanasii, q. LXII.) cui nos consentire jubet Dominus, dum sumus cum illo in via, Matth. V. ne iudici nos tradat.

VI. Denique, ad eum qui misit nos, vadimus, Deum scilicet iudicem, qui misit nos in vineam ut operaremur et fructum afferremus. Mercedem ergo accepturi ad eum pergitimus, sed qualem accepturi simus, nescimus. Jacob obvians fratri Esau valde sibi timuit, ac præmissis muneribus placare eum studuit, nesciens utrum iratum an placantem inventurus esset, Gen. XXXII. Si ergo hominem, si fratrem timere potest homo, non timebit Deum, cujus gratia an odio dignus sit, nescit? In historia Barlaam et Josaphat refert Damascenus parabolam de rege, qui cum aliquando de curru exiliens pauperes amplè xasus et osculatus esset, et ob id a fratre culpa us, misit ad domum fratris tibicenem, qui pro more regni illius, buccinæ sonitu mortis iudicium ei insinuaret. Quare consternatus frater et pulla indutus tamquam reus mortis coram rege apparuit cum uxore et filiis,

flens ad fores palatii. Cui introducto dixit rex «O stulte et insipiens, si tu timuisti præconem germani fratris tui, adversus quem te nihil deliquisse cognovis, quomodo me reprehendere ausus es, quod præcones Dei mei, in quem graviter me peccasse scio, et cui me occursum aliquando novi, salutarim?» Unde S. Hieron. in epistola: «Si tanta cura pertimescitur iudicium pulveris, qua intentione cogitandum est, qua formidine prævidendum tantæ iudicium majestatis?» Sed o quam vere dixit Sapiens: *Stultorum infinitus, est numerus!* Eccl. II. Quam multi enim reperiuntur, qui non modo non considerant se vadere ad iudicem severissimum, sed ita se adornant et poliunt, ac si ad nuptias et convivia pergerent! Qui si cor haberent et vel semel, quo vadant, intuerentur, toti contremiscent. Cum ad furcam aliquis educitur reus, si is (forte inebriatus) oblivisceretur sui itineris et periculi, atque adeo quo vadat nesciret, posset sibi imaginari, se maximo cum honore veluti principem duci ad amœnissimum locum, dum tantum circa se comitatum videt. Posset enim cogitare se principem esse, eo quod solus ipse in curru vehatur, reliquos omnes vero servos suos, eo quod pedestres sequantur; posset cogitare prætorem esse magistrum aulæ suæ, lictores et prætoris satellites esse corporis sui custodes ac satellites, sacerdotem confessarium, suum capellanum auctorem, reliquos se comitantes esse servos suos, tympanum et tibiam vel campanam sanguinariam esse suam musicam, etc. quæ si cogitaret et jactaret miser iste, nonne disceremus: Ah miser quo vadis? Nonne vides te ad furcam duci, et hos omnes interitum tantum tuum partim procurare, partim spectare velle, et paulo post, te ad corvorum pabulum in furca relicto, ad ædes suas redituros? Et quidnam interest, quæso, inter istum et illos mundi sectatores, qui: *Tenant tympanum et citharam*, inquit Job, cap. XXI. *et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt?* Opes eorum, honores, servi et amici, quibus ipsi stipati se præ aliis attollunt, et plusquam homines esse putant, quid sunt aliud nisi satellites et lictores, qui partim eos ad infernum comitantur, partim carnifici infernali plectendos tradunt? Nos ergo auditores, cum intelligamus nos ad eum ire, qui misit nos, diligentissime attendamus uti iudicem nostrum præmissis bonorum operum, misericordiæ imprimis, muneribus placare, nobisque propitium reddere studeamus, et demum in hoc itinere ita nos comparemus et res nostras componamus, quo eum ad quem vadimus non severum iudicem, sed clementissimum patrem experiamur.